gura, ergo & materia. Nihil movetur præter corpus. Cælum movetur. Ergo corpus eſt, ergo materia haud caret. Qualis verò materia, adhuc dubium eſt, nec eam controverſiam nunc faciemus noſtram, quia in eis erramus, quæ ante pedes ſunt, quanto magis in tam altè poſitis?

Tertiò iſtam: An in cælo dextrū ſit & ſiniſtrum? Negatur: 1. quia nulla in cælo pars eſt in cujus locum non ſuccedat altera. 2. quia motus eſt perpetuus. 3. quia partes ipſæ uniformes. 4. quia ſic ſuper polis non verteretur æqualiter, id quod notandum contra Pythagoræos, qui Cælum animal eſſe autumabant, & ideo ei tanquam perfectiſſimo dextrum tribuebant & ſiniſtrum, ut ſcili-